



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

36 Rehabilitas ob malam fructuum perceptionem datur mediante
fructuum compositione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

per concursum, prævio dicto examine, ab examinatore faciendo, sunt conferendæ, aliâs collationes sunt nullæ, & nullum tribuunt titulum coloratum, *ut in dict. constit. s. nos, ad quorum, qua habent decretum irritans, circa sim. ibi si secus, &c.*

† Quod decretum omnia in contrarium golta annullat ipso jure, *cap. si eo tempore, de elect. in 6. cap. quodam, cum gloss. de præb. eod. lib.* Et cum parochialis tunc tunc vacet, ut prius, taliter provisus † caret ipso jure titulo, quem nunquam habuit, & dicitur intrusus, *glos. in verb. sed dumtaxat, in cap. nisi cum pridem, s. propter, de renunc. & Felin. in cap. in nostra, num. 13. vers. & in effectu, eodem tit. & in cap. veniens, numor. 2. vers. primo si de accus. & uti vacans, ut prius, potest jure impetrari, & hic est vnus modus vacandi propter formam sacri concilij, & dict. constitut. minimè servatam, & percipiendo fructus beneficii sine concursu impetrati, illos injustè percipit, & tanquam intrusus non facit illos suos, *Cassac. de caus. poss. & pro. pr. decis. 1. n. 2. & Graff. d. cap. 97. n. 48.**

35 Fructus † autem indebitè percipiens incurrit pœnam inhabilitatis ad quæcunque beneficia obtinenda, *cap. cum jam dudum, & ibi Abb. n. 4. de præb. & dign. & Rebuff. de dispens. cum reg. fac. nu. 6. Vn-40*

36 de indiget rehabilitatione, † quæ non datur nisi in dataria, facta de fructibus indebitè perceptis compositione, qua facta conceditur nova provisio cum dispensatione † ab irregularitate, quâ fructus indebitè percipiens contraxit, & absolutione ab excommunicatione, quam quis irregularis celebrando incurrit: & hic est stylus De-

tariæ, & Cancellariæ, de quo per Rebuff. *ubi supra, n. 67.* & ante novam provisionem ob indebitam fructuum perceptionem, & irregularitatem contractam poterunt in odium irregularis beneficia, uti vacantia impetrari.

38 Beneficia † viventium non sunt impetranda, quia contra similes impetrantes omnes leges divinæ & humanæ Insurgunt, *l. stipulatio, hoc modo, ff. de verb. oblig. l. fin. C. de pact. cap. 2. de concess. præbend. & Gomef. de impetr. benef. Viu. quest. 1. num. 2.* Propterea quilibet Papa in principio sui Pontificatus inter alias constituit regulam, qua ordinatur, ut si quis supplicaverit sibi de beneficio quocunque, tanquam per obitum alicujus tunc viventis vacante, provideri, & postea per obitum ejus vacet, provisio, & quævis dispositio dicto supplicanti per obitum hujusmodi de novo faciendæ nullius sint robotis, vel momenti, aded quod supplicans de beneficio viventis sibi provideri pœnam inhabilitatis ad aliud post illius obitum impetrandum incurrit ipso facto, *ut in regul. Clem. VIII. reg. 20. Gomef. super ead. reg. q. 3. n. 2. si quis autem in beneficio viventis se intrudit ecclesiastica communione est privandus, ab eodem beneficio repellendus, & ad illud obtinendum in futurum inhabilis efficitur, c. 1. de concess. præb. & Diaz præf. crim. q. 45.*

Presbyterorum † filii ex fornicatione nati, ecclesiâs cathedrales etiam metropolitanas, ac monasteria, quibus eorum patres præfuerunt seu illa, & illas dignitates etiam majores, & principales, personatus, administrationes, & officia, etiam curata, & electiva, & alia quæcunque beneficia eccl. cum cura, & sine cura secularia, & quorumvis ordinum regularia, quæ pres-